



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 137. Num Judæus inter Christianos habere possit bona stabilia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73982)

Quest. 138. An instituire possint actiones, & coram quo.

Resp. Possunt instituire & recipere actiones, cum recepti alicubi fruuntur jure aliorum civium, Minling. Alex. Reiffenst. *ll. cit.* sed non nisi coram Judice Christiano cum Christianis litigare compelluntur, sive sint actores, sive rei, juxta *L. si qua. c. b. t.*

Quest. 139. An filius Judæi conversus & baptizatus succedat patri in bonis jure hereditario.

Resp. Affirmativè; retinet enim jura successionis erga parentes, & reliquos non secus ac prius, Tiraq. *de jure primog. a. 66. n. 4. Nav. conf. 5. tit. de restam. Marquard. de Judæis. p. 3. c. 2. num. 12. Ricciul. l. c. c. 29. n. 9. & 10. Barb. in c. Judæi. h. t. n. 5. juxta §. 1. Instit. de legit. patr. tutel. idque, tum quia jura sanguinis vel naturalia sunt indelebilia, *L. jura sanguinis. ff. de reg. jur. L. jus agnationis. ff. de pactis.* tum quia dignitas adeptæ per baptismum non debet filium reddere deterioris conditionis, quam fuit ante baptismum, sed dignioris, AA. cit. unde conversus ad fidem, ob conversionem prætextu ingratitude, à parentibus exhereditari nequeunt, Gl. in *Can. Judæi. c. 1. q. 4. v. fideles. Surtus de alim. tit. 7. q. 1. n. 44. Ricciullus l. c. Barb. l. c. n. 3. quin & talis filius potest à patre petere alimenta, & filia dotem, Ricciul. n. 16. Barb. n. 4. dum etiam in genere constitutum, ut Judæi & Saraceni ad fidem conversi, nullatenus suis juribus & possessionibus spoliarentur, & spoliati beneficium plenum restitutionis in integrum percipiant, & si secus fiat, Principibus seu Magistratibus injungitur sub pœna excommunicationis, ut partem hereditatis, & omnium bonorum suorum eis integra faciant exhiberi & restitui, Pirh. num. 27. juxta *est. c. Judæi. quin & non solum per Extrav. dignum inter communes. h. t. conversi ad fidem liberantur, & defenduntur ab injuriis & molestiis in suis bonis, ut sic de servitute ad libertatem transisse se percipiant, ne redire ad pristinam perfidiam prætextu mendicitatis compellantur: verum etiam referente Pirh. n. 28. per constitut. Pauli III. quæ incipit: *Cupientes;* Judæis ad fidem conversis remittuntur omnia quæcumque bona, etiam ex usuris, aliisque illicito quæstu acquisita, modò personæ, quibus ea restituenda, sint incertæ, dum aliis etiam conversi injustè acquisita teneantur restituere iis, à quibus extorserunt, vel eorum hæredibus, aut si hi superstites non sint, in pauperes erogare, juxta *c. cum tu. de usuris. Gl. in citat. c. Judæi. v. possessionibus. Abb. ibid. n. 1. Pirh. 27. insuper eorum filii baptizati per baptismum liberantur à potestate patria, & fiunt sui juris, Gl. in c. Judæorum. 28. q. 1. v. eodem Pirh. l. c. &c.****

Quest. 140. Num licitè Judæorum Cæmeteria violari possint, & quæ cavolantium pœna.

Resp. Ad primum negativè cum Barb. in *c. sicut Judæi. n. 1.* citatisque ab eo quamplurimis, juxta quod prohibetur id hisce expressis. *cit. e. nemo Cæmeterium Judæorum mutilare, (hoc est, perumpere vel destruere) aut invadere, sive obtentu pecunia humata seu sepulta corpora effodere audeat, (alioquin Cæmeterii violati tenebitur, L. Prætor ait. §. si quis. ff. de sepulch. viol. Gl. in cit. C. sicut. v. effodere.) si quis vero contra hoc decretum præsumpserit honoris (seu dignitatis, si quam habeat,*

& officii sui periculum, seu salutem patiatur, aut excommunicetur, nisi condignè satisfecerit. Ac proinde in optione Judicis erit, quam ex istis penis velit reo imponere, si noluerit satisfacere, nimirum vel pœnam privationis, vel excommunicationis, si autem voluerit satisfacere, neutrà harum pœnarum puniendus; ita Gl. *in cit. c. sicut. Abb. ibid. in fin. Pirh. n. 25.*

Quest. 141. Num Principes Christiani subjectos sibi Judæos, Saracenos, alios, que infideles cogere possint ad fidem vel baptismum, aut eorum infantes iisdem invititis curare baptizari.

1. Resp. Ad primum: Non licet eos ad hoc cogere directè, S. Ambros. *serm. 13. in Psal. 118. D. Tho. 2. 2. q. 100. a. 8. Suar. de fide. d. 18. f. 1. & 9. Del Bene de offic. inquisit. p. 2. du. 230. f. 8. Gontz. in cit. c. sicut. n. 5. Barb. ibid. num. 1. & 2. citatis pluribus aliis, cum communi Theologorum & Canonistarum juxta claros textus, *Can. ad fidem. caus. 3. q. 5. c. sicut Judæi. h. t. Can. de Judæis. dist. 45.* ubi etiam ratio adjungitur hisce expressis: *non enim inviti salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma justitiæ, sicut enim propria arbitrii voluntate serpenti obediens perit, sic vocante se gratiâ Dei propria mentis conversione homo quisque credendo salvatur &c.* Adde, quòd talis coactio directâ fidem Christianam exofam, & de tyrannide suspectam redderet, & consequenter tales coacti, ut Barbof, non crederentur habere fidem Christi, quæ tamen in adulto ratione prædico requiritur ad baptismum validè suscipiendum. His, dum opponuntur exempla quorundam præclarissimorum & piissimorum Regum & Principum, ut apud Reiffenst. *h. t. n. 39.* Sifibiti Gothorum Regis, qui Judæos in Hispania, respuentes baptizati, turpiter decalvari, flagellis cædi, & eorum bonis fisco additis exilio puniri jussit, ut constare dicit ex *Conc. Tolitano 6.* dicendum hæc fuisse facti, & fortè zeli alicujus intemperantioris; iisque opponenda clara in contrarium jura, dum adducuntur quedam jura in speciem contraria, si sint juris civilis, ut *L. fin. C. de paganis,* ubi pagani renuentes baptizari confiscatione bonorum, & exilio puniri jubentur, & *L. cælicolarum. C. de Judæis,* quæ cælicolæ converti renuentes, iisdem atringuntur pœnis, quibus Hæretici, hi autem ad fidem Catholicam cogi possunt. Hæc, inquam, leges non curandæ, quia videntur contra per jus canonicum; si sint juris canonici intelligendæ de coactione indirectâ, quæ coactio variis modis fieri potest, v. g. promissione aut oblatione præmiorum, honorum, privilegiorum, officiorum remissione totali vel partiali onerum aliâ debitorum, vel pœnarum, quas aliâs promeriti; de quo vide D. Gregor. *L. 4. Epist. 6.* non tamen cogendi expulsionem eorum è territorio, aut subtrahâ protectionem, ad quod & ad quam semel suscepti; quia hæc foret coactio directâ, & consequenter injusta ad fidem, dum vel sic sine alia legitima causâ privarentur habitatione & protectione, quæ etiam eis manentibus infidelibus pacificè & sine scandalo viventibus promissa, sicque jure debita. Neque tamen etiam Judæus fugiens ad Christianos, petensque baptismum, confestim baptizandus, sed expectandum, donec voluntas ejus bene exploretur, & quâ causâ ac intentione petat baptismum, idòque statutum, *c. ne quod absit dist. 4. de consecrat. ut per dies 40. verteretur inter Christianos, antequam baptizetur.**